

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Abhandlungen bey der Jubelfeyer der Carlsruher  
Fürstenschule wegen ihrer vor 200 Jahren 1586 zu  
Durlach geschehenen Stiftung**

De Virgilii Georgicis praefatus...

**Durlaci, 1786**

[urn:nbn:de:bsz:31-100637](#)



A. M. 1. 27. 1



A. V. 12716 II



A. M. 1. 276. II

Abhandlungen  
bey der  
Tribelfeier  
der  
Carlsruher Fürstenschule  
wegen  
ihrer vor zweihundert Jahren 1586.  
zu Durlach geschehenen Stiftung.



Durlach;

---

bey F. G. Müller, Hochf. Marggräfl. Badischem  
Hof- und Kanzley Buchdrucker.

1787.

1954 g 1699

BRUNNEN VERL.

054

A 404



## In h a l t.

I. Einladungs-Schrift und Reden, bey der Jubelfeier.

✓ 1. Herrn geheimen Secretär D. Posselts Pro-  
gramma de Virgili Georgicis.

*feiert* ✓ 2. Herrn Hof- und Regierungs-Rath's Freyherrn  
von Drais Anrede an die studierende  
Jugend.

✓ 3. Herr D. Posselts Rede über deutsche Si-  
storiographie.

II. Herrn Kirchenrath und Rector Sach's, Beyträge  
zur Geschichte des Gymnasii.

III. Abhandlungen von Professoren und Lehrern.

✓ 1. Herr Kirchenrath Titel, zu einigen neuen  
Theorien berühmter Philosophen.

✓ 2. Herr Hofrath Böckmann, welche Fort-  
schritte machten Mathematik und Natur-  
lehre in den Badischen Landen?

- ✓ 3. Herr Hofrath D. Schweichard, über den  
Zustand des Wundarzney-Wesens im  
Badischen.
- ✓ 4. Herr Kirchenrath Bouginé, Gedanken von  
den Schulen u. s. w.
- ✓ 5. Herr Rath Wucherer, Beytrag zur Py-  
rotechnik.
- ✓ 6. Herr D. Walz, Betrachtung über den  
Menschen.

DE  
VIRGILII GEORGICIS

PRAEFATUS

---

ILLUSTRIS GYMNASII

ANNO MDLXXXVI. DURLACI INSTAURATI

NUNC CAROLSRUHAE FLORENTIS

MEMORIAM SAECULAREM

DIE XXI. NOUEMBR. MDCCLXXXVI.

HORA ANTEMERID. IX.

IN PALATIO PRINCIPIS

CELEBRANDAM

NOMINE ILLUSTRIS GYMNASII

INDICIT

D. ERN. LUDOV. POSSELT

SERENISS. MARCHIONI BADENSI AB EPISTOLIS

SECRETIORIBUS, IURIS AC ELOQUENTIAE

PROFESSOR P. O.



DURLACI,

TYPIS MÜLLERIANIS

1786.

ALBICHTI GEORGII

SUETRAGE

ALBICHTI GEORGII

TRANSLATI ETATIUS INTELLIGIUM QMIA

ETIACOM SICNA SCIAQ QMIA

ALBICHTI GEORGII

TRANSLATI ETATIUS INTELLIGIUM QMIA

ALBICHTI GEORGII

TRANSLATI ETATIUS INTELLIGIUM QMIA

ALBICHTI GEORGII

TRANSLATI ETATIUS INTELLIGIUM QMIA

TANTUS P. VIRGILIO MARONI non defuncto modo, sed, quod praeter eum vix cuiquam contigit, etiam viuo tributus honos est, vt illa solennis vatibus de iniquitate fortunæ conquestio ad hunc vnum non pertinere iure meritoque videatur. Namque viuus Augusti, humanissimi principis, fauore summo, eaque romani populi gratia floruit, vt aliquando auditis in theatro versibus ipsius præsenti forte spectantique non minorem, quam Cæsari, cultum omnes ordines haberent. Mortui autem, quemadmodum fere fit, vbi magna aliqua et memorabilis virtus e conspectu hominum recessit, vsque eo aucta est admiratio, vt per eminentiam poetæ nomen ferret, et summo ingenio homines nimia sumfisse sibi viderentur, si vel ad imitationem eius se contulissent, et ipse Homericæ perfectionis per omnia æmulus ac particeps haberetur.

§. 2. SED nimirum in tanta Virgilianarum laudum copia et segete quid tandem primum et maximum omnium videri debeat? curiosius apud animum perpendens, hoc in primis esse puto, quod, licet duplex et contrarium multis partibus genus carminum complexus, præter HOMERUM tamen, quem, vt Iouem quandam, semper excipi par est, in utroque longe omnes superauit. Plerisque enim prisci ac recentior-

A

ris æui poetas non videmus nisi vno genere carminum illustres fuisse, ita quidem, vt, si qui forte latius patere ingenii sui venam putarent, hanc vbertatis falsam persuasionem magno famæ impendio seque-rentur. Quapropter quibus vera vis animi sui perspecta proprius esset, illuc demum accesserunt, quo peruenturi cum laude videbantur. Neque enim in cothurnos surrexit, aptior focco, PLAUTUS; nec LUCRETIO, subtiliori poeta et qui sciret plus sibi ab arte quam ab ingenio commendationis esse, in mentem vnquam venit, aut elegis ludere aut claros bello duces persequi. HORATIUS ipse, quamuis multis Augusti precibus solicitatus, tamen epicis carminis one-ra lyra sustinere, quam in eo ipso genere periclitari maluit. Vni prope *Aeneidos* ac *Georgicon* auctori VIRGILIO contigit hoc, quod intelligentium omnium iudicio difficillimum habetur, vt duplex poeseos genus, epicum et didacticum, amplexus, quod summum est virtutis ac praestantiæ, cumulatissime in vtroque impleret; quod quanti et studii fuerit et ingenii, facile patet reputantibus apud animum, quam diuersa inuicem et multis modis contraria sint *didaœtica poësis* et *epica*. *Huic* splen-dida omnia, excelsa, magnifica conueniunt: *illi* trita et communia et ex medio vitæ vsu petita. *Hæc* peri-culis gaudet, et insurgit magnitudini rerum, nec iam humano ore loquitur, sed velut numine percita feruet, æternasque voces fundit, deosque ipsos in conspectum suum congressumque deducit, et proutcunque vult, huc illuc audientes admiratione sui rapit ac impellit: *illi* sim-plex et modestior cultus placet, et omnia vsui magis quam admirationi comparata, nihil vsquam præruptum

5

aut exultans, nulla deorum ministeria, sed composita  
omnia et temperata et quæ cum suauitate quadam pro-  
fint. *Epicam poesin*, velut aquilam, magno ad solem im-  
petu ferri; contra *poesin didacticam*, tanquam Mineruæ  
auem, obscuriores recessus amare, umbraque potius  
quam splendore delectari dicere possis.

§. 3. AT enim vero de epico carmine Virgiliano  
nihil attinet hic fusius a nobis disputari. Illud unum ad-  
monuisse sufficiat, quod, qui parvissimi sunt in laudi-  
bus ipsius, non illam utique in eo, qua nihil graius  
est, Homeric spiritus magnificentiam adsequuntur  
**VIRGILIUM**, eundem tamen orationis elegantia et omni  
cultu artis palmam eripuisse patri poetarum haud cun-  
ctanter adfirmant. Didactica vero poesi **HESIODUM** græ-  
cum, quem sequutus est, non superauit modo vates ro-  
manus, sed huius generis carminum quasi legem et nor-  
mam constituit. Ecquid enim vel aptius Georgicis cogi-  
tari potest, vel elegantius, vel laude omni poeticæ ve-  
nustatis ornatus? ut mihi quidem, quantum præstare  
potuerit MARO noster, magis etiam quam Aeneis ipsa  
demonstrare videantur. Contigit enim illis manus ultima  
& limæ labor, fine quo non potest ullum perfectum om-  
nibus numeris opus effici. Contra in recensenda Aeneide  
iniuriam poetarum præstantissimo mors præmatura fecit,  
tanto quidem maiorem, quo acrior in emendando ille  
fuit. Ferunt enim ipsum de se sèpius testatum: „parere  
se versus more atque ritu vrsino; namque ut illa bestia  
fœtum ederet ineffigiatum informemque, lambendoque  
id postea, quod ita edidisset, conformaret et fingeret,  
sic ingenii quoque sui partus rudi esse facie et imper-  
fecta, sed deinceps tractando colendoque reddere iis se

oris et vultus lineamenta. <sup>1)</sup> Quibus causis adductus ego Georgicon carmen, quod perfectum expolitumque reliquit elegantissimus auctor, quantum ad poeticum artificium spectat, non quidem illustrabo explicatus, quod maioris operis fuerit, sed præcipuas tamen virtutes eius preesse ac summatim attingam.

§. 4. IAM primum omnium illud quidem admonitione nulla eget, ut sapienter quis iudicare de re aliqua possit, consilii, quod sequutus est auctor, veram atque genuinam cognitionem inesse ei oportere. Nam si omnia etiam alia manu opificum facta ad finem suum, tanquam ad Lydium lapidem, solemus exigere, quanto magis hoc idem in ingenii præstandum erit operibus! Finem enim, tanquam solem quendam, si perpetuo sibi ante oculos posuerit auctor et singulis in partibus exprimere sollicite laborarit, aptum procul dubio opus suum et concinnum dignumque intelligentium laudibus efficiet. Iam vero quis esse debeat finis poetæ? eleganter declarauit ipse felicissimus carminum auctor HORATIUS: <sup>2)</sup>

*Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci:*

*Lectorem deleclando pariterque monendo.*

In primis tamen carminis didactici hæc duplex virtus sit necesse est. <sup>3)</sup> Nam si præcipiendum tantum fuerit,

1) AUL. GELLII *Noëtes atticae* L. XVII. C. 10.

2) *Epistola ad Pijones* V. 343.

3) Præclare optimus in hoc litterarum genere arbiter, ill. CHR. GOTTL. HEYNE in *præfat. ad Georgica* veram ac propriam vim didactici carminis in hoc demum positam esse adffirmat, *ut siue notio aliqua, siue sententia, siue sententiarum, adeoque etiam præceptorum de quacunque siue scientia siue arte, aliquis complexus eo sermonis genere exponatur, quod quam maxime ad permulcendum voluptate aliqua animum vim habeat.*

quid iuuat metri legibus sua sponte adstringi? quum interim soluta oratio et facilius ad res omnes excurrit, nec poeticum splendorem illum desiderat, qui multis rebus grauate admodum inducitur. Contra si quis, ingenii viribus fretus, præceptorum vtilitati adiicere commendationem carminis voluerit, ei fatis patet non in id modo elaborandum esse, vt profit, sed vel maxime, vt delectet: vt, quemadmodum in nummis veterum seiunctæ aut diuulsaे nunquam conspicuntur Gratiæ, ita poesin, etiam didacticam, quæ voluptatem non habeat, mancam et mutilam esse haud immerito simus iudicaturi. Omnis ergo labor noster eo redibit, vt videamus *primum*: quam *vtiliter*, *dein*: quam *iucunde* ac *poe-*  
*tice* VIRGILIUS de agrorum cultu præceperit?

§. 5. QUODSI prima iam *vtilitatis* ratio habeatur, illam quam non negligendam sibi existimari prudentissimus auctor, et veritas præceptorum docet, et ipsius operis absoluta cunctis partibus integritas, et quamlibet minutarum rerum diligens recensus, denique regularum ad vitam bene beateque degendam lætissima illa seges, quæ quidem omnia, quo facilius cognoscerentur, vniuersim prius proposita, per species nunc explicabimus.

§. 6. PRIMA ergo nobis occurrit hoc loco non fane solennis poetis *virtus veritas*, quam vt in Aeneide neutiquam ad se pertinere putauit MARO noster, ita in Georgicis mira fide ac diligentia sequutus est. Neque enim fallere potuit tam subtilis ingenii hominem, quantum hac in re discriminis intercedat inter epicam poesin ac didacticam, quarum videlicet illa non quæ verissima sint, sed quæ maxime mira circumspiciat, hæc autem

tus  
que  
um  
us,  
vir-  
  
ni-  
qua  
que  
nia  
am  
gis  
em  
nte  
ere  
et  
iet.  
cla-  
2)  
  
tus  
rit,  
  
HR.  
vim  
sue  
præ-  
is eo  
dum

ipſa quidem etiam ad delectationem voluptatemque legentium ſpectet, ita tamen, vt ſimul proſit, quod fieri, niſi veritas præſtruatur, non potest. Ceterum hanc omnem de veritate, quæ in carmine didactico in eſſe debeat, diſputationem vel tacentibus nobis intelligitur non patere vltra præcepta ipſa ſcientiæ illius artiſue, quæ argumentum carmini præbuit, perperamque iis partibus adplicari, quae ſuauitatis tantum et ornatus cauſa adiiciuntur. Quibus præmissis adſcribamus hic et ſub examen aliquod vocemus, qui nobis obſtare videtur, L. ANNÆI SENECAE locum. „Te quoque,“ Lucilio ſuocribit ille, 1) „proteget arbor illa, quæ

*Tarda venit, ſeris faſtura nepotibus umbram;*  
vt ait VIRGILIUS noſter, qui non quid veriſſime, ſed quid decentiſſime diceretur, adſpexit, nec agricultorū docere voluit, ſed legentes deleſare. Nam, vt omnia alia transeam, hoc quod hodie milii neceſſe fuit reprehendere, adſcribam:

*Vere fabis ſatio eſt: tunc te quoque, medica, putres  
Accipiunt fulci et milio venit annua cura.*

An uno tempore iſta ponenda ſint? et an utriusque vernaſit ſatio? hinc aſtimes licet. Junius menſis eſt, quo tibiſcribo, iam proclivius in Julium. Eodem die vidi fabam metenteſ, milium ferenteſ. Sed primum omnium ego, vt plane cognoscatur quam parum valeat hoc SENECAE testimonium aduersus veriſſimum poetam, audacter illud adfirmo, Virgiliani carminis, quod eſt de agricultura, iudicem minime omnium idoneum fuiſſe vi- rum, quem vel Stoicæ philosophiæ tumor, vel Nero-niani fauoris diſſicilis et anxia tutela, diuiſumque cum

1) Epift, LXXXVI,

Burrho terrarum orbis regimen, aliis potius rebus omnibus, quam operi rustico aduertere distractum mille modis animum coegerunt. Contra MARO noster, procul a magnificentia vrbis, inter labores rusticos transactis iuuentutis annis et postea quoque, quum iam florere Augusti gratia cœpisset, non nisi deliciis ruris altoque otio delectatus, quidni, quo tempore milio et fabis fatio veniat, abunde vel proprio vsu scierit? Dein nec illud quisquam facile dicat, eccur tandem decentius ac splendidius sit, præcipere: fabis et milio pariter fationem venire, quam illud: quo tempore fabæ metantur, eodem milium seri? Porro licet non semper primam legem poetæ sibi constituant veritatem, sed, proutcunque res poscent, nunc demere pleraque nunc addere et varie varia mutare non dubitent, hanc tamen licentiam probe intellexit VIRGILIUS nullo modo conuenire didactico carmini, eas præfertim res complexo, quæ notæ sunt omnibus, in quibus quicquid vel detrahas vel adiicias, inepte et cum risu omnium facias. Quis, oro, ignoscat poetæ, si descriptioni veris amoenitatem tanto maiorem conciliaturus, messem etiam, quæ tota æstatis est, et vindemiam, autumni bonum, in hoc tempus conferat? Atqui ornatus tamen ac splendoris aliqua ratio hic foret, quam quis in illis de fatione fabarum et milii præceptis inuenerit? Utinam quidem eandem, quam MARO noster, quem scrupulose et anxie doctum fuisse MACROBIUS refert, 1) exultanti ingenioseueritatem adhibuisset SENECA, qui MARCO FABIO iudice 2) abundat dulcibus vitiis! Imo vero, si pretium.

1) *Saturnal. L. V. C. 18.*

2) *Instit. orat. L. X. C. 1. n. 129.*

operæ fuerit, ut equidem esse puto, defendendi vatis maximi caussa nec paruis hisce ac minutis rebus abstinere, VIRGILIUS quidem in illo de fatione milii præcepito magno se auctore tuebitur MARCO CATONE, quem optimum et sine æmulo agricolam vocat PLINIUS SECUNDUS. 1) Is enim „dapem“<sup>1)</sup>, inquit, „pro bubus piro florente facito. — — Postea dape facta serito milium.“<sup>2)</sup> Iam ipse quisque statuat secum, MARCUS CATO potior testis fit, an ille nescio quis, qui præsente forte ac inspiciente SENECA vergente demum ad finem Junio mense milii fatione functus est? Neque vero plura iam colligam, quibus criminatio illa confutetur: sufficit enim hanc in rem vel solum COLUMELÆ testimonium, qui, quum viuo ac florente tum maxime SENECA duodecim libris ex instituto *de re rustica* præceperit, non alia auctoritate libentius vtitur, quam VIRGILII nostri, ut ipse adfirmat: 3) „sequeris autem noualia non solum herbida; sed quæ plerumque vidua sunt spinis; vt amur enim sæpius aueroritate diuini carminis:“

*Si tibi lanitium curæ est, primum aspera silua,  
Lappæque tribulique abfint.*<sup>4)</sup>

et alio loco: 4) „Hæc autem consequemur, si verissimo, vati, velut oraculo crediderimus dicenti:

*Ventos et varium cœli prædiscere morem  
Cura sit, ac patrios cultusque habitusque locorum,  
Ei quid queque ferat regio et quid quæque recusat.<sup>5)</sup>  
ac rursus 5): „Et ne discedamus ab optimo vate, vere nouo terram proscindere incipiat.“ Quantopere vero ab inani-*

1) *Histor. natural. L. XIV. C. 4.*

2) *de re rustica C. 131. 132.*

3) *L. VII. C. 3. n. 9. 10.*

4) *L. I. C. 4. n. 4.*

5) *L. XI. C. 2. n. 2.*

bus fabularum commentis abhorreat VIRGILIUS, ut minus etiam, quam consensu omnium licet poetis, hac in re sibi vindicet, idem testatur eo loco, quo de apibus prodigia quædam refert, veluti quod Dictæo specu Ioui, deorum hominumque patri, tum paruulo, alimenta præbuerint. „*Ista enim*“ 1) subiungit, „*quamuis non dede- ceant poetam, summatim tamen et uno tantummodo ver- sculo leuiter attigit*“ VIRGILIUS, cum sic ait:

*Dictæo cæli regem pauere sub antro.*“

§. 7. SEQUITUR nunc altera vtilitatis ratio, posita in *integritate et iusto ordine*; quam duplicem virtutem abunde declarat vel initium carminis, quo se omnem rei rusticæ ambitum complexurum poeta ipse adfirmat, partesque singulas, de quibus exponere instituit, pressæ qui- dem sed luculenter recenset, quod ipsum mire probauit elegans ingeniorum arbiter QUINCTILIANUS, qui „*sunt et illa,*“ inquit, „*excitandis ad audiendum non inutilia, si nos neque diu moraturos, neque extra caussam dicturos existimant. Docilem sine dubio et hec ipsa praefat attentio, sed et illud, si breuiter et dilucide summam rei, de qua cognoscere debeat, indicauerimus: quod HOMERUS atque VIRGILIUS operum suorum principiis faciunt.*“ 2) Romani vero terræ cultum in quatuor velut capita digerebant. Omnis enim ager aut frugibus inferiebat, aut arboribus, quarum præcipuam speciem constituunt vites, aut pas- cuis, aut floribus denique, apum caussa, quibus magnopere fauebant Romani. Hæc vniuersa traditurus MARO, quid destinari operis, non vt poeta cyclicus ille, quem

1) L. IX. C. 2. n. 3.

2) *Inst. orat.* L. IV. C. I. n. 34.

merito risit HORATIUS, inani strepitu verborum, sed nitidissima simplicitate commemorat:

*I. Quid fuciat letas segetes, quo fidere terram  
Vertere, Mæcenas, II vlmisque adiungere vites  
Conueniat: III. quae cura boum, qui cultus habendo  
Sit pecori; IV apibus quanta experientia parcis;  
Hinc canere incipiam —*

Georg. I, 1 — 5.

quem ordinem carminis, optimum haud dubie, non deserit postea, vt plerique poetarum, qui operum suorum initiis multum secum contemplati, ne fidem suam eiusmodi proposito obligent, quod vel excedant deinceps vel non impleant, vbi ingressi altum vela ingenio dedere, vtcunque abripit illa furoris poetici tempestas, huc illuc coeco impetu feruntur. Nempe, quæ VIRGILIO fuit, poetica vis, non atrox et sœua et tumultuaria fuit, qualis fere est, cui nulla ratio conformatioque doctrinæ acceſſit, sed elegans et exulta et conueniens rebus. Hinc Georgicorum luculentus ordo, hinc certum descriptionis iter, et iustissima laus ex eo, quod nihil in iis vel deest vel abundat, quemadmodum corpora hominum ea demum sanitatis ac decoris alicuius speciem præbent, quæ plena sunt, non macilenta aut turgida. Quicquid ergo pertinere ad ipsum vlo modo videri potest, id omne inueniet in hoc carmine Virgiliano paterfamilias ruri degens.

§. 8. ACCEDIT his tertia species vtilitatis, quod neglecto more poetarum, non nisi ampla excelsaque sectandi, haud raro *ad res pertenuēs et fere contemptas* *fese demisit*, in quo quidem carminis didactici vis propria sita est. Nam in ceteris carminum generibus sensus viuidior, animus furore quodam percitus et abreptus, osque illud

magna sonaturum sufficit. Contra in carmine didactico imperare ingenio quam indulgere maiori poetæ laudi habetur. Subtilis nonnunquam minutarum rerum recensus agendus, et in aua disciplinarum recedendum eo vsque, quo vix videtur peruenire posse poesis, quæ magis aperto cœlo et liberiore campo gaudet. Iam quid potest cum grauius esse, si rei rustica ratio habeatur, tum vero, si materiam carminis spectes, minus aptum, in quo se iactet eloquentia poetica, cultu pecorum? Atqui non modo sui operis putauit MARO, neque in amœniora hæc omittere, verum sic plane pertractauit eadem, vt non magis hanc rem illustrasse videantur, etiam qui de ea sola ex instituto præceperunt. Quam diligens illa et in minimis quoque ad naturam expressa vaccæ, ad fœturam habilis, imago!

*Optima torue*

*Forma bonis, cui turpe caput, cui plurima ceruix,  
Et crurum tenus a mento palearia pendent.  
Tum longo nullus lateri modus, omnia magna:  
Pes etiam et caninus hirtæ sub cornibus aures.  
Nec mihi displiceat maculis insignis et albo,  
Aut iuga detrectans, interdumque aspera cornu,  
Et faciem tauri propior, queque ardua tota,  
Et gradiens ima verrit vestigia cauda.*

*Georg. III. 51 --- 59.*

Habemus de eadem re MARCI VARRONIS, qui ante VIRGILIUm de re rustica prosa oratione *κατ' Ἑρόχην* exposuit, locum hunc fere. „Qui gregem armentorum emere vult, obseruare debet primum, vt sint hac pecudes — — bene compositæ, vt integris membris, oblongæ, amplæ, nigrantibus cornibus, latis frontibus, oculis magnis et nigris, pilosis auribus, compressis malis subfimisue, gibberi spina leuiter remissa, apertis naribus, labris subnigris, ceruaci-

*bus crassis ac longis, a collo palearibus demissis, corpore ample, bene costato, latis humeris, bonis clunibus, caudam profusam usque ad calces ut habeant, inferiorem partem frequentibus pilis subcrispam, — — colore potissimum nigro, dein rubeo, tertio heluo, quarto albo.* <sup>c)</sup> Iam quid habet quæso copiosissima descriptio Varroniana, quod non prese quidem, sed multo etiam illustrius MARO noster paucis versibus complectatur? Nec minus elegans est, et magnifica etiam multis partibus, quæ statim sequitur, generosioris equi descriptio; sed materia facilior et plerisque vatibus tractata. Illud tamen proprium VIRGILIO, quod nihil descriptio eius alienum aut exuberans habet, verum congrua omnia et ad propositum poetæ spectantia, quod nequaquam in eo situm erat, ut pulcherrimi alicuius equi velut speciem et absolutam imaginem efformaret, sed vt, suum opus respiciens,

*Quos in spem debeat submittere gentis,  
doceret rusticos. Hinc illa, quæ nemo reliquorum tam diligenter coniunctim enumerauit:*

*Altius ingreditur, et mollia crura reponit:  
Primus et ire viam, et fluios tentare minaces  
Audet, et ignoto se se committere ponti:  
Nec vanos horret strepitus. Illi ardua ceruix,  
Argutumque caput, brenis aluis, obesaque terga:  
Luxuriantque toris antimosum pectus. Honesti  
Spadices, glaucique: color deterrimus albis  
Et gilio. Tum, si quas nonum procul arma dedere,  
Stare loco nescit, micat auribus et tremit artus:  
Collectumque premens voluit sub naribus ignem.  
Densa iuba et dextro iactata recumbit in armis.*

<sup>c)</sup> *De re rustica L. II. C. 5. n. 7. 8.*

*At duplex agitur per lumbos spina; canaque  
Tellurem et solido grauiter sonat vngula cornu.*

*Georg. III. 76 --- 88.*

Quam descriptionem, qui classicus rei rusticæ scriptor habetur, COLUMELLA dempto metro suam fecit et paucissimis vel mutatis vel adiectis exscripsit plane. Sunt enim hæc eius verba: „*Cum vero natus est pullus, consimilis licet indolem estimare; si hilaris, si intrepidus, si neque conspectu noueque rei auditu terretur, si ante gregem procurrit, si lasciuia et alacritate, interdum et cursu certans æquales exsuperat, si fossam sine cunctatione transflit, pontem flumenque transcendit: hæc erunt honesti animi documenta. Corporis vero forma constabit exigo capite, nigris oculis, naribus apertis, brevibus auriculis et arrectis, ceruice molli lataque nec longa, densa iuba et per dextram partem profusa, lato et muscularum toris numeroſo pectore, grandibus armis et rectis, lateribus inflexis, spina dupli, ventre substrieto, testibus paribus et exiguis, latis lumbis et subſidentibus, cauda longa et fetosa crisperaque, æqualibus atque altis rectisque curribus, tereti genu paruoque neque introrsus spectanti, rotundis clunibus, feminibus toroſis ac numeroſis, duris vngulis et concavis rotundisque, quibus coronæ mediocres superpositæ sint.*“ 1) Veniat nunc aliquis, et VIRGILIUM non speciosa modo sed vera quoque ac vtilia præcepisse neget! Porro tempestatum notas, mirifice rei rusticæ inferuientes, nostrorum in primis hominum iudicio, qui propriam meteorologiæ

1) *De re rusticæ L. VI. C. 29. n. 1. 2. 3.* Nec C. PLINIUM fugit Virgiliane descriptionis libertas ac elegantia. „*Forma equorum, ait ille, Historiæ naturalis L. VIII. c. 42. quales maxime legi oporteat, pulcherrime quidem Virgilio vate absoluta est.*“

artem coeperunt efficere , tam ingeniose ac sedulo colligit , vt dubium videatur, solertia magis eius an elegantias mirari hac in re debeamus. Iam quæ de diuersis arborum generibus , et varia , quæ cuique conueniat , terra , sationisque ac plantationis artificiis et discriminibus tradit , nonne cum per se valde vtilia etiam nunc sunt , tum quicquid ætas VIRGILII botanicae artis studio valuit , velut in compendio complectuntur ?

§. 9. PRÆCIPUA tamen vtilitatis , quam sequutus est noster , hæc fuerit ratio , quod non contentus vulgari more profuisse agricolis , terræ cultum explicando , nullam vtique occasionem *saluberrima* mentibus ipsorum virtutis ac prudentiae instillandi *præcepta* prætermittit. Ea vero quam non anxie et extra materiam petit , sed sua sponte se offerentibus quam feliciter vtitur ! vt hac in primis nobilissimi operis parte aureo plectro donandus merito videatur. Sic post *præceptum* illud :

*Interca superat gregibus dum lœta iuuentus ,  
Solute mares:*

*Georg. III, 63. --- 64.*

aptissime profecto memorabile illud carmen canit:

*Optima quæque dies miseris mortalibus æui  
Prima fugit : subeunt morbi , tristisque senectus ,  
Et labor et duræ rapit inclemens mortis.*

*Georg. III, 66 --- 68.*

Prius enim de brutis animalibus loquutus , quo tandem potiore modo velut aculeum legentium animis infigeret , quam dum omne genus mortalium sub communem querelam vocat , quam non diu ætatis flore fruatur ! quamque nihil iuuentutem , nisi labores et morbi et mille mala excipient , quibus omnibus vti cumulum ita finem quoque mors sola adferre possit ! „Quare tandem optima

„dies prima fugit?“ ad hunc locum SENECAE verba sunt,  
 „quia restat, quod incertum est. Quare optima? quia iuuenes  
 possumus discere, possumus facilem animum et adhuc  
 tractabilem ad meliora conuertere: quia hoc tempus ido-  
 neum agitandis per studia ingenii et exercendis per opera  
 corporibus. Quod superest, segnus et languidius est et pro-  
 prius a fine. Itaque toto hoc agamus animo, et omisis, ad  
 quae diuertimus, in rem unam laboremus: ne hanc temporis  
 perniciissimi celeritatem, quam retinere non possumus, reliqui  
 demum intelligamus. Primus quisque tanquam optimus dies  
 placeat et redigatur en nostrum. Quod fugit, occupandum  
 ist“ 1) Hanc ipsam igitur iucunde suauiterque illud pa-  
 rum concessi nobis temporis viuendi artem ita commen-  
 dat VIRGILIUS, vt simul delicias ruris laudet ac priscam  
 morum simplicitatem, dum ibi adhuc habitare fingit, bo-  
 nis consiliis reuocare studeat. Non ignoro equidem, mul-  
 tis poetarum vitae rusticæ celebratas laudes; inde haud  
 quaquam debere mirum videri, Musam VIRGILII, quæ  
 in hoc quidem carmine tota rustica est, in materiam tam  
 facilem et proposito suo arctissimo vinculo coniunctam,  
 paullo fusius semet effuditisse. At qui nullis conquisitis  
 eloquentiae lenociniis, sola vi mentis plenoque animi  
 sensu nixus, ita voluptates ruris laudarit, vt, qui propter  
 miram pangendorum versuum artem inter elegantissimos  
 homines vixisse non possit non existimari, idem, si  
 puram ac natuam de rebus rusticis scribentis simplicitatem  
 species, haud quaquam aliena et incognita sibi trac-  
 tasse, sed natus atque educatus ruri videatur, ego qui-  
 dem præter VIRGILIUM inuentum vix quenquam iri,  
 haud cunctanter adfirmare ausim. De me certe illud con-

1) Epist. CVIII.

fiteor, abunde mihi placuisse, quæ multi poetæ prisci ac recentiores in hanc sententiam dixerunt: sed præter omnes tamen mentem meam nunc suauissimo quodam sensu, nunc summo simplicioris vitæ desiderio adfecit VIRGILIUS, vt sæpe abiectis iis, quæ vel elegantior cultus, vel laboriosa hæc eruditio, vel inane studium honoris nobis circumdedit, exclamare cum illo liberet:

*Rura mibi et rigui placeant in vallibus amnes,  
Flumina amem filiusque inglorius!*

Georg. II. 485 486.

§. 10. SED iam nimis diu de his, quæ vtiliter in Georgicis monuit MARO, et plura restant. Quam ob rem, vt fert instituti ratio, ad *elegantias* quoque ac *delectandi* *veneres*, quibus nemo hunc vicerit, transeamus.

§. 11. Ac primum quidem in hunc censum pertinere arbitror *digressionum* seu *episodiorum* artificium illud, quo velut amoena quædam diuerticula legentibus comparauit, quibus fatigatae continuis præceptis mentes ad vim et alacritatem pristinam reuocarentur. Nam cum semper et vbiique magnæ alicuius aut mirabilis rei cognitio iucunda hominibus est, tum vero ibi potissimum placet, vbi maxime ex insperato venit; quippe in ipsa natura mentis nostræ ineft hoc, vt minora videantur, quorum ingens exspectatio præcesserat, contra vehementius percellat animos, quæ non sperantibus superuenere. Quapropter magnam Virgiliano carmini gratiam adiiciunt digressiones illæ, quibus barbarem necem Cæsaris sequutumque eam ciuale bellum, et Aristæi repandarum apum artificium, Orpheique ac Eurydices infelicem amorem, et alia quædam scitu digna persequitur. In hoc vero digressionum vsu quam virtutes poetæ in primis

in primis semet conspicendas præbeant, quid vniuersim circa easdem obseruandum sit? paucis attingere iuuat.

§. 12. IAM id quidem dubio caret hac in re pri-  
mum et antiquissimum illud esse, vt eiusmodi narratio-  
nibus, quæ varietatis cauſa intericiuntur, ad ipsum  
velut corpus carminis ratio ea fit, vt emineant quidem  
ex illo, sic tamen ne vñquam repugnant eidem. Quam  
ob rem ante omnia id obseruandum poetæ, ne ad eas tor-  
rentis more proruat, sed velut prono alueo deferri videa-  
tur, idcircoque satis omnia præparet, vt quasi in pro-  
priam dœnum suam veniant. Mira arte hæc præstítit  
MARO. De variis prænoscendarum tempestatum ratio-  
nibus loquutus, interdum etiam solem signa dare refert.  
Tunc solem, addit, quis dicere falsum audeat? iamque  
statim eius in morte Cæsar is defectionem facillimo pul-  
cherrimoque transitu commemorat; in quo sane loco  
summum poetæ ingenium elucet, qui, vt prius turbidi  
coeli, ita mox ruentis ad ciuile bellum reipublicæ præ-  
fagia egregie coniungit. Ad explicandam vero Aristæi  
Orpheique fabulam itidem naturalis ordo poetam de-  
duxit. Contagia videlicet mortesque apum postquam  
commemorarat, quibus modis reparari eiusmodi damna  
possint, Aristæi exemplo monet, cuius infortunium  
quum ad tentatam ab ipso Eurydicen consultus Proteus  
vates referret, hac ipsa occasione Orphei et Eurydices  
inaustum amorem facillimo ordine persequitur.

§. 13. PRÆTEREA digressiones per se ita sint com-  
paratæ oportet, vt vel magnitudine sua vel suauitate  
quasi quedam lumina ex reliquo carminis contextu emi-  
neant; in qua quidem re vix parem inuenerit MARO  
noſter. Orphei enim fabula quam dulces sensus creat!

B

quam mollia sunt et mellita in ea omnia! ut plane quæ  
de Threicio vate tam eleganter dixit VIRGILIUS, merito  
in ipsum transferre possis. Cecinit enim et ipse frustra-  
tum amorem, velut

*Populea mærens philomela sub umbra,  
Amisso queritur fætus, quos durus arator  
Obseruans nido implumis detraxit: at illa  
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen  
Integrat, et moestis late loca questibus implet.*

*Georg. IV, 511 -- 515.*

Contra de morte Cæsarî narratione nihil potest aut gra-  
uius cogitari aut sublimius. Quem romanorum sine hor-  
rore mentis ac ciuilis belli detestatione illam eius tam  
feralem descriptionem legisse putemus? Quem non Au-  
gusto, Cæsarî successori, prope diuinos honores ob tan-  
tum restauratæ pacis beneficium habuisse? Aristæi au-  
tem fabula cum per se mira et alliciens est, tum atticæ  
elegantiae saporem haud dubium refert, quod quidem  
fluminum regionumque ac nympharum in primis voca-  
lissima illa græca nomina, omnisque narrandi ratio effe-  
cerunt.

§. 14. DENIQUE hæc ingens virtus est digressio-  
num, non abhorrere a contextu carminis; verum ita sem-  
per in eum reuerti, ut arctissime cum eo coniunctæ, nec  
tam extrinsecus adscitæ, quam ex ipsa materia carminis  
natæ atque expresa videantur; quod quidem tam dif-  
ficile et arduum fuit de re rustica scribenti, ut plane  
VIRGILIO, id est, poetarum ingeniosissimo opus esset,  
ad argumentum tenue in similitudinem sublimis et mag-  
nifici extollendum. Nempe, si per se rem spectes, quis  
nexus fuerit inter Georgica et necem Cæsarî, præsertim  
si non inanibus locis bacchari, aut petulanter in re graui-

ludere velis? Egregie tamen ipsum explicavit MARO, ita quidem, ut videatur haud potuisse æque eleganter luctus Romæ squalorique describi, nisi agros in medium protulisset poeta romano sanguine pingues, in quibus olim

*Agricola, incuruo terram molitus aratro,  
Exesa inueniet scabra rubigine pila,  
Aut grauibus rastris galeas pulsat inanis,  
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulchris.*

Georg. I, 494 --- 497.

Aristæi autem fabula intexta ita carmini est, vt, quicquid ex ea omissum foret, id integratati operis deesse merito videretur. In minimis etiam partibus eius, vt fuit acerrimo pulchri venustique sensu, sic ad propositum suum refert omnia poëta, nihil ut inane aut otiosum aut præter necessitatem operis dictum vsquam adpareat. Aristæus ipse, amissis apibus tristis, poteratne Cyrenen matrem ad ferendum sibi auxilium modo magis congruo compellare? quam dum indignabundus exclamat:

*Quin age, et ipsa manu felices erue silvas;  
Fer stabulis inimicum ignem, atque interface messes:  
Vre sata, et validam in vites molire bipennem;  
Tanta meæ se te ceperunt tædia laudis.*

Georg. IV, 329 --- 332.

Iam vero Cyrene, fletu filii mota, dum explicat astum, quo ad enarrandum ordinem fatorum cogi possit Proteus, quam eleganter apteque ad materiam carminis! ipsa, inquit,

*Ego te, medios cum sol accenderit æstus,  
Cum stiant herbæ et pecori iam gravior umbra est,  
In secreta senis ducam.*

Georg. IV, 401 --- 403.

Quin et ad Orpheum deflexo narrandi ordine,

*Erebi in sedibus imis*

copiosissimi ingenii poeta reperit, quod in similitudinem operis sui conformare possit. Scilicet hic

*Vembræ ibant tenues, simulacraque luce carentum:*

*Quam multa in foliis auium se millia condunt,*

*Vesper vbi aut hibernus agit de montibus imber.*

Georg. IV, 472 --- 474.

Quæ comparatio mihi non vna ratione perconueniens videtur. Primum enim, vt facile omnes sentiunt, materiæ ipsi simplicissimo vinculo copulata est; dein narrationem per se tristiorum et velut horridam de iis rebus, quæ oblatæ Orpheo fuere, vbi

*Tænariae fances, alta ostia Ditis,*

*Et caligantem nigra formidine lucum*

*Ingressus, Manesque adiit Regemque tremendum,*

Georg. IV, 467 --- 469.

eadem mire prorsus exhilarat. Iam de isto in laudes Italæ ac vitæ rusticæ excessu, pestisque et hiemis Scythicæ descriptione nihil dicere hoc loco attinet, quum ipsius carminis partem sic constituant illa, vt ad integratatem operis deesse nullo modo possint.

§. 15. SED præter has digressionum elegantias, quæ quidem adscititiæ videri possint, propriam quoque materiam suam ita tractauit VIRGILIUS, quemadmodum par est a subtilissimi iudicii poeta exspectari. Magnas et splendidas res *sublimitate orationis* non æquat modo, verum auget etiam ac mirifice attollit. Nam qui tempestatem descripturus, sine inani cumulo verborum, statim velut in rem præsentem lectorem dedit

*Ipse Pater, media nimborum in nocte, corusca*

*Fulmina molitur dextra: quo maxima motu*

*Terra tremit: fugere feræ, et mortalia corda*

*Per gentes humili stravit pauor. Ille flagrant*

*Aut Athon, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo  
Deicicit;*

*Georg. I, 328 --- 333.*

nonne quicquid habet tempestas, quo frangi mentes  
hominum et irati numinis velut occursu obstupefieri pos-  
funt, orationis felicissima grauitate adsequutus esse iu-  
dicari debet? Quid illa porro Scythicæ hiemis pestisque  
Noricæ descriptione sublimius? Orpheum autem ad in-  
feros ipsi etiam sequi, et expaescere cum illo conspectis  
tot monstribus, et nunc gaudere redditæ coniuge, nunc  
iterum erepta tanto magis deos omnes atque homines ac-  
cubare nobis videmur. Vincunt tamen reliquorum om-  
nium sublimitatem ea, quæ de morte Cæsaris poetarum  
disertissimus narrat: qui locus cum pauore ac sequuturi  
atrocis mali metu legentium animos totus implet, tum  
in singulis etiam partibus vim eam habet, non modo ut  
elegantissime narrari tibi prodigia ista putes, sed ipse il-  
lis interesse videare, et auersari nunc luridum pallentem  
que solem, nunc male illustres fulminibus et cometis noc-  
tes, audireque luporum insolitos vulnus, vocesque va-  
cuis ac desertis lucis missas. Ita nimur omnes non ima-  
gines modo, sed voces quoque ac syllabæ felicissimi va-  
tis proposito respondent, quod in ciendis animi affecti-  
bus, pauore in primis et miseratione, positum erat! Quæ  
omnia facillimum transitum parant precibus illis, quibus  
statores romani imperii deos pro salute Augusti obtestau-  
tur, fortissimeque, ut consentiant iis, legentium ani-  
mos impellunt.

§. 16. CONTRA vbi locus non esse videbatur mag-  
nificentiae poeticæ, proprietatis tamen nitidæque ac illu-  
stris expositionis laudem tulit VIRGILIUS noster. Neque  
enim latere poterat subactissimi iudicii hominem, per-

inepte de rebus paruis magnos clamores fieri ; nec ad oratores modo, sed ad poetas etiam MARCI TULLII præceptum illud pertinere, vt magna grauiter, media temperate, parua submisse dicant. Hunc vero stilum, in quo tenuitas iusta quidem et rebus debita, sed elegans tamen et conueniens ingenio poetico adpareat, refert in primis initium libri secundi, quo arborum procreandarum ratio omnis, variæque species earundem, et cui quæque solo conueniat, traditur ita, vt qui historiam naturalem scribere nunc quoque voluerint, in ea parte operis, quæ est de procreandis arboribus, vix habituri sint, quod ad explicatissimum VIRGILII recensum addant. Iam quæ de contagiosis ouium atque apum, de variis venturæ tempestatis signis, de equorum bouisque dilectu ac procreatione, multisque id genus aliis rebus commemorat, sicut ab omni fastu ac tumore verborum longissime absunt, ita sobrio quodam et plane congruo materiæ ornatu non carent. Nusquam ieuna illa et scabra subtilitas, qua toties, diuino alioquin Lucretiano carmine legendu cum maxime effervescit et attollitur rerum ac verborum ponderibus, tanquam ab aliquo sidere in terram delapsa mens stupet, nec mirari satis potest in eodem homine tantam orationis atque ingenii diuersitatem. Nihil vbique humile, aut fordidum, aut quod Musas ipsas dicturas fuisse non putas; sed splendida omnia, vel minima, et significantia, et non uno genere pulchra. Vbi plane in abstrusis horridisque rebus versari videtur, præter spem ac exspectationem omnium, varii generis elegantias, velut totidem lumina immiscet, quibus distinguat pulcherimum opus. Namque, prout res poscit, vel audaciore quadam figura vtitur; qualis illa est de insitione arborum:

*nec longum tempus, et ingens  
Exit ad coelum ramis felicibus arbor,  
Miraturque nouas frondes et non sua poma.*

*Georg. II. 80 --- 82.*

vel ex ipsis philosophiæ penetralibus illustriorem locum aliquem, tanquam munusculum quoddam, præceptis suis adiicit; quemadmodum, vbi lepidissime præfatus de republica apum, quamque miro ordine institutionem eius feruent illæ, vt vera statuere videantur, qui

*Esse apibus partem diuinæ mentis, et haustrus  
Aetherios dixerat,*

*Georg. IV, 220 --- 221.*

hanc opinionem ex intimo philosophiæ Platonicæ sacra-  
rio ita illustrat:

*Dcum namque ire per omnes*

*Terasque, tractusque maris, coelumque profundum.  
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,  
Quemque sibi tenues nascent, m arcessere vitas.  
Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri  
Omnia: nec morti esse locum, sed viua volare  
Sideris in numerum, atque alto succedere cœlo.*

*Georg. IV. 221 --- 227.*

Præterea cum simpliciter quidem sed minus poetice ex-  
plicari res possent, ampliore quodam circuitu ac descrip-  
tione illas persequitur. Quam ob rem vbi solutæ oratio-  
nis scriptor optime vineta tempore verno conscri dictu-  
rus erat, quanto amoenius ipse!

*Optima vineta satio est, cum vere rubenti  
Candida venit auis, longis inuisa colubris.*

*Georg. II, 319 --- 320.*

aut quum præceptum dari tale poterat: ab æquinoctio  
autumnali vsque ad brumam ipsam faciendam hordæ fa-  
tionem esse, quam eleganter VIRGILIUS, relicto vulgari  
dicendi genere!

ad  
æ  
m  
uo  
en  
nis  
tio  
olo  
cri-  
est  
ex-  
de  
sta-  
ne,  
m-  
rio-  
nt.  
di-  
me-  
us,  
et,  
nis  
for-  
es;  
non  
que  
em  
ina-  
am-  
vti-

*Libra die somnique pares vbi fecerit horas,  
Et medium luci atque umbris iam diuidet orbem.  
Exercete, viri, tauros: sevite hordea campis,  
Vsque sub extremum brumæ intratilabilis imbre.*

Georg. I, 208—211.

et, paucis interiectis, milio Aprili mense sationem venire præcepturus:

*milio venit annua cura,  
Candidus auratis aperit cum cornibus annum.  
Taurus et aduerso cedens Canis occidit astro.*

Georg. I, 216—218.

Quodsi forte sic comparatae res essent, vt nullo modo vidarentur splendorem quendam aut ornatum recipere, in id tamen elaborandum sibi statuit VIRGILIUS, ut eas ipas a poeta explicari statim omnes sentirent. Itaque pro communibus verbis translata posuit, propriisque appellationibus prætulit eas, quæ a similitudine aliqua desumptæ essent, quod artificium in primis adparet in illis, de insitione arborum præceptis:

*Nec modus inserere atque oculos imponere simplex;  
Nam, qua se medio trudunt de cortice gemmæ,  
Et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso  
Fit nodo sinus.*

Georg. II, 73—76.

et paullo ante, vbi procreandarum arborum varias species recenset, nec nuda nomina ponit, quo nihil minus consentaneum erat libertati poeticæ, sed ex arboris cuiusvis vel natura vel destinatione, aut ex mythologian commentis venustissimas, quibus quamque insignire possit, notas petit:

*Sed truncis oleæ melius, propagine vites  
Respondent, solido Paphiæ de robore myrtus;  
Plantis et duræ coryli nascuntur, et ingens  
Fraxinus, Herculeæque arbos ambrosia coronæ,*

*Chaonique patris glandes: etiam ardua palma  
Nascitur, et casus abies visura marinos.*

*Georg. II. 63---68.*

vt, quam HORATIUS veri ac præclarri carminis legem et normam posuit, ne ad profæ orationis gracilitatem vñquam descendat, sed ruptum etiam inque partes distractum vim illam poeticam feruet, ea in hoc VIRGILII carmine vtique comprobetur.

§. 17. SED vt tanto plenius cognosci possit, quam felix atque elegans poetæ nostri ingenium fuerit, congruum videtur illud in primis admonere lectores, quanta ars eius in ornandis amplificandisque paruis rebus et prope in contemtu omnium positis adpareat. Iam qui de apibus ait:

*ipse regem, paruosque Quirites  
Sufficiunt, aulasque et cerea regna refiunt;*

*Georg. IV, 201---202.*

nonne quicquid minimi animalis descriptio abiecti aut obscuri habebat, absterisse ingenii poetici fulgore videatur? Quodcunque enim cum Quiritibus, rerum dominis, eumque aliqua bene ordinati regni institutione comparationem ullam fert, sordidum aut indignum cognitu esse non potest. Contra ne quis maioribus, quam quæ decebant, prolatis, inepte audacem poetam crederet, tempturus id, quod nimium videri poterat, paruos Quirites et cerea regna vocat; quod ipsum leporis illius et excultæ elegantia est, quam velut propriam virtutem MARONI tribuit HORATIUS:

*molle atque facetum  
Virgilio adnuerunt gaudentes rure Camoenæ.*

1) *Sat. I. 10, 44. 45.* Ita enim hos versus interpretatur M.  
FABIUS QUINCTILIANUS *Inst. orator. VI*, 3, 20.

In eadem parte carminis , quæ est de mellificatione , tumultus et pugnas apum iis verbis describit , quibus si in vero ciuili bello vtare , nihil quidquam infra dignitatem operis facias . Contueri nobis videatur paratum vtrinque prælio agmen , et duces præclaram pro patria mortem obitueros . Proxime ad euentum res spectat . Omnia in prætoriis anxia et occupata ; iamque signa canunt :

*concurritur; æthere in alta*

*Fit sonitus, magnum mixtæ glomerantur in orbem,  
Præcipitesque cadunt.*

*Georg. IV, 78 --- 80.*

Aemulis vero regibus quanta ferocia ! quam obstinatum vincendi moriendue propositum !

*Ipsi per medias acies, insignibus alis,  
Ingentes animos angusto in pectore versant,  
Usque ad eo obnixi non cedere, dum grauis aut hos,  
Aut hos versa fuga viator dare terga subegit.*

*Georg. IV, 82 --- 85.*

Sed bene habet ! Non inficiuntur sanguine flumina , nec obteritur messis .

*Hi motus animorum atque haec certamina tanta,  
Pulueris exigui iactu compressa quiescent.*

*Georg. IV. 86 87.*

quorum versuum quanta concinnitas sit , multis illustrare superuacaneum puto . Quis enim non sponte sua videat , haud potuisse VIRGILIUM illam sibi ab ipsis Musis datam et concessam festiuitatem melius declarare , quam dum , vbi in re tenui omnia summa exspectes , grauissimam descriptionem facetæ clausulæ artificio ad priorem orationis habitum reuocat ? Aliud huius tam subtilis iudicij exemplum illustravit optimus auctor et magister eloquentiæ M. FABIUS QUINCTILIANUS <sup>1)</sup> qui „ *rifimus* , ait , et me-

<sup>1)</sup> *Instit. orator.* VIII, 3, 20.

vita, nuper poetam, qui dixerat,

*Prætextum in cista mures rosere Camilli:*

*At VIRGILII miramur illud:*

*Sæpe exiguis mus.*

Nam epitheton, exiguis, aptum proprium effecit, ne plus expeditaremus, et casus singularis magis decuit, et clausula ipsa unius syllabæ, non visitata, addidit gratiam. Imitatus est itaque utrumque HORATIUS,

*Nascetur ridiculus mus*“

Libro tertio taurorum de aliqua formosiore iuuencia certamen describit ita, ut Menelaus ac Paris, de Helena pugnantes, non videantur magnificentius cani potuisse. Eum, qui vicit est, velut ab æmulo deiectum imperio regem, inuitum gementemque amissis prouinciis excedere, noua bella moliturum, intueri nobis videmur. Neque tamen idcirco, quæ summa poetæ ars est, quidquam habet pulcherrima descriptio, quod nimium aut inepte ac præter veritatem dictum existimari possit. Nam quæ splendide in ea dicta occurrunt:

*Illi alternantes multa vi prælia miscent*

*Vulneribus crebris, lauit ater corpora sanguis,*

*Versaque in obnixos urgentur cornua, vasto*

*Cum gemitu: reboant fulæque et magnus Olympus.*

*Nec mos bellantes una stabulare: sed alitr*

*Victus abit, longeque ignotis exulat oris,*

*Multa gemens ignominiam plagasque superbi*

*Victoris, tum quos amisit inultus amores,*

*Et stabula asperitus regnis excessit auitis.*

*Georg. III, 220—228.*

cum per se ex ipsa natura hausta atque expressa sunt, tum ne speciosius forte quam verius dicta videri possint, ap-  
tissime per sequentia molliuntur:

*Ergo omni cura vires exercet, et inter-*

*Dura iacet pernox instrato saxa cubili,*

tu-  
in-  
em-  
que-  
em-  
in-  
alta-

um-  
nec-

rare-  
eat,  
tam-  
um-  
de-  
onis-  
tem-  
ntia-  
me-

*Frondibus hisutis et carice pastus acuta,  
Et tentat sese, atque irasci in cornua discit,  
Arboris obnixus trunco, ventosque lacepsit.  
Ictibus, et sparsa ad pugnam proluudit arena.*

*Georg. III, 229 — 234.*

Nam quum, mutatis paucis, in quemcunque virum fortē priora cadant, qui ab altero viētus pugna tristis amoerens abit, hæc nisi de tauro dici non possunt. Sed statim ad illam strenui bellatoris reuolutus imaginem poeta, quam lepide, manum vltimam impositurus descriptioni, addit!

*Post ubi collectum robur, viresque receptæ,  
Signa mouet, præcepseque oblitum fertur in hostem.*

*Georg. III, 235, 236.*

§. 18. SED ut ad maiora redeamus, illud nescio an primum omnium sit, quod in laudibus VIRGILII ponī debeat, quod assidui præceptoris vitaturus tedium *in docendo ac narrando vices prudentissime seruauit*. Primum enim per se iam alterna Camœnæ amant, nec quod magistro alicuius disciplinæ fatis conuenit, idem poetam quoque decet, in quo summa rerum varietas requiritur. Dein semper præcipere, quæ facere rusticum oporteat, simplicius quidem, sed onerosum ac prope arrogans est; narrare vero, quid faciat diligens agricola, quemadmodum idem utilitatis habet, sic molestiæ nihil: quod abunde intelligens non præcipit VIRGILIUS, exacto autumno amputandas vites esse, sed, quod elegantia sua dignius erat, ita fieri *confusæ amoenissimæ descriptio-*nis circuitu narrat:

*Et iam olim seras posuit cum vinea frondes,  
Frigidus et filuis aquilo decusst̄ honorem:  
Iam tum acer curas venientem extendit in annum  
Rusticus, et curuq; Saturni dente reliquit.*

*Persequitur vitem attondens, fingitque putando.*

*Georg. II, 403 --- 407.*

cui quidem artificio et hæc vis inest, vt præceptorum auctoritas dubia in certissimam fidem historiæ transeat, dum non id iam perdiscimus, quod visum vati fuerit, sed quod in hoc quidem rerum genere optimus boni rectique magister vñs adprobaret. Nec vero is fuit VIRGILIUS, qui artificium vñlum non totum exprimeret. Itaque non modo, quæ fieri soleant, persequi narrando, quam usquequaque, præceptoris sustinere personam maluit, sed illis ipsis narrationibus hoc quoque velut condimentum adiecit, vt vel parata, si exemplum tale sequerentur, præmia suis ostentaret, quemadmodum illo loco, quo foecundiorum esse terram docet, quæ frequenti aratro subacta fit:

*Multum adeo, rastris glebas qui frangit inertes,  
Vimineasque trahit crates, iuuat arua: neque illum  
Flava Ceres alto nequicquam spectat Olympos.*

*Georg. I, 94 --- 96.*

vel, si negligenter, denunciaret imminentem poenam:  
 Quod nisi et affiduis terram insecatere rastris,  
 Et sonitu terrebris aues, et ruris opaci  
 Falce premens umbras, votisque vocaueris imbre:  
 Heu, magnum alterius frustra spectabis aceruum,  
 Concussaque fumem in filiis solabere queru.

*Georg. I. 155 --- 159.*

§. 19. NEC in laudibus præclari carminis omitti fas fuerit verecundiam illam, quæ tanta est in eo, nihil ut complectatur, quod legi sine rubore non possit; vnde Parthenias quoque græco nomine appellatus est VIRGILIUS. Sciunt quidem omnes, nihil posse modestius et magis pudice dici his, quæ de Aeneæ ac Didonis infausis nuptiis princeps poetarum refert, vt nihil neque in

rebus neque in verbis non modo indecens aut sordidum, sed ne incaute quidem ac suspiciose positum occurrat. Sed nimurum, quanquam difficilis hæc, tamen ampla et splendida materia erat. At qui equarum amores, rem per se foedam et quæ vix videtur villo modo dici saluo pudore posse, iis versibus complexus est, qui nec rem ipsam inuoluant et legi etiam in choro virginum possint; nonne, quod summum est, in hoc quidem genere laudis, utique præstissime iudicari debet? Iam primum ergo quam pudice simul ac poetice noster coitus partusque tempora definit!

*Aetas Lucinam iustosque pati Hymenæos  
Definit ante decem, post quattuor incipit annos.*

Georg. III. 60. 61:

Mox, secundum illud HIER. VIDÆ 1) præceptum:

*Postremo tibi si qua instant dicenda, ruborem  
Quæ tenerum initicerent Mœsi ad aperta chorisque  
Virgineis, molli vel præterlabere tactu  
Dissimulans, vel verte alio et rem suffice fictam,  
frigus ac infirmitatem equi, senio confecti, aptissima sub  
imagine exhibet:*

*Frigidus in venerem senior, frustraque laborem  
Ingratum trahit, et si quando ad prælia ventum est,  
Vt quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,  
Incasum furit.*

Georg. III, 96—99.

Porro quæ MARCUS VARRO 2) sine ullis verborum ambagibus „propter foeturam, inquit, hæc seruare soleo: ante admitturam mensam unum ne cibo et potione se impletant, quod existimantur facilius macræ concipere; contra tauros duobus mensibus ante admitturam herba et palea ac

1) *Artis poetice L. II.*

2) *De re rustica L. II, Cap. 5.*

*foeno facio pleniores, et a foeminis secerno* “, multo ver-  
cundius, summa cum arte poetica, in hunc modum com-  
plectitur MARO :

*His animadueris instant sub tempus, et omnes  
Impendunt curas denso distendere pingui,  
Quem legere ducem et pecori dixere maritum:  
Florentesque secant herbas, fluiosque ministrant,  
Farraque, ne blando nequeant supereffe labori,  
Inualidique patrum referant ieiunia nati.  
Ipsa autem macie tenuant armenta volentes.*

Georg. III, 123 — 129.

Quam belle ac decenter hoc loco maritum pecoris pro  
admissario, et blandos labores pro re venerea dicit! Su-  
perat tamen reliquorum omnium admirationem id, quod,  
postquam equas et vaccas ante admissuram data opera  
ieiunio tenuari retulerat, explicaturus huiusce rei cau-  
tas addit:

*Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior usus  
Sit genitali arvo, et sulcos oblitet inertes;  
Sed rapiat sitiens venerem, interiusque recondat.*

Georg. III, 135 — 137.

Elegantissime profecto, præfertim si ad materiam carmi-  
nis respicias, pro ἔργοις Ἀφροδίτης ab opere rustica  
desumpta comparatione, plurimis et minime dubiis, sed  
puris ac honestis verbis rem perdifficilem modestissimus  
poetarum illustrat! Iam vero illi versus, quibus vim amo-  
ris describit (Georg. III. 242 — 283.), inter splendidissi-  
ma loca carminis non immerito habentur. Quam et ve-  
recunde omnia et fortiter dicta! Illud autem, vt supra  
vidimus, frequentatum VIRGILIO artificium est, quod  
non subsistit in animalibus mutis, sed quo magis rapiat  
ac impellat legentium animos, humanis quoque exem-  
pliis utitur, quale est hoc loco illud Leandri iuuenis,

Heronis amore Hellespontum tranant̄ et fluctibus ob-  
ruti:

*Quid iuuemis, magnum cui versat in offib⁹ ignem  
Durus amor? Nempe abruptis turbata procellis,  
Cæcu nocte natat serus freta; quem super ingens  
Porta tonat cœli et scopulis illisa reclamant  
Æquora, nec miseri possunt reuocare parentes,  
Nec moritura super crudeli funere virgo.*

*Georg. III, 258 — 263.*

quos versus quis leget, quin et infelicis pueri acerbissi-  
mam sortem lugeat, et poetæ in excitandis affectibus ar-  
tem summam miretur?

**V**ERUM hæc de VIRGILIO, quæ non ea mente a nobis  
dicta sunt, tanquam nouum quidquam ad illustrandum  
ipsum proferri a nobis posse post tot virorum doctorum de-  
eo labores existimaremus, sed vt frequens lectio poetæ  
optimi, quem patrem venustatis ac elegantiae merito  
prior ætas iudicauit, omnibus, qui quidem non plane  
abhorrent a Musis, nostra quoque opera commendaretur.  
Restat nunc, vt huius præfationis nostræ paucis rationem  
reddamus.

VIDELICET Gymnasii illustris, quod Carlsruhae  
nunc floret, anno sæculi decimi sexti sexto et octogesi-  
mo ERNESTI FRIDERICI Marchionis auspiciis Durlaci in-  
staurati memoria sæcularis hoc ipso anno primum cele-  
brabitur, quod, quo minus priori iam sæculo id fieret,  
impedimento fuit belli gallici furor, quo tum sic oppressa  
erat patria, nihil vt magis impium cogitari Musis nostris  
potuisset,

potuisset, si lugentibus omnibus vllam lætiorem vocem  
eæ folæ misissent. Nunc demum bona fide, tanto ala-  
crius, quanto magis ex merito, religione sua se soluunt.  
Ecquid enim non ciuium modo, sed exterorum quoque  
iudicio deesse possit felicitati nostræ, saluo ac superftite  
CAROLO FRIDERICO, qui, quicquid mente optima et in-  
genio summo instructus princeps præstare suis potest,  
cumulatissime cum in bonos atque bona omnia, tum in  
hoc quoque Gymnasium nostrum contulit? Sed dignas  
tanto principe laudes optime futura ætas rependet. Nos  
interim hoc vno meliorem posterorum nostrorum condi-  
tionem esse patiamur, vt, quibus videre CAROLUM FRI-  
DERICUM et in hac luce beatissimi sæculi viuere non con-  
tigit, virtutes tamen eius, quod nobis datum non est,  
sine vlla suspicione adulacionis, plenissimo atque pul-  
cherrimo persequi elogio possint.

NEQUE vero parcus nobis aut cum exceptione vlla  
fortuna indulxit, quæ CAROLO FRIDERICO dignissimunt  
tanto patre filium dedit CAROLUM LUDOUICUM, prin-  
cipem optimum, quem communis patriæ res florentes vi-  
gentesque seruaturum olim, (quod vt quam serissime  
fiat, quæ summa est, ipsius pietas optabit) non speramus  
quidem nos iam, sed post tot animi optimi et ad præcla-  
rißima quæque tendentis specimina confidimus prorsus  
et plenissime nobis persuademos.

His vero sub principibus, vt cuiuslibet bonæ rei, sic  
litterarum quoque amantissimis, quid mirum, si, qui  
priori tempore hebetes ac torpentes otio videbamur, nec  
quidquam vnde aut gloria nobis aut decus patriæ para-  
retur, proferebamus, nunc quidem lacertos mouere at-  
que vti ingenio nostro et aliqua eruditio[n]is fama censer[emus]

coepimus? Habet nimirum hoc exemplum principum,  
vt ad imitationem sui ceteros omnes fortissime trahat,  
vt neque sub ignauo principe litterarum amor ac studium  
augeri, nec CAROLO FRIDERICO, Marci Antonini æmulo  
regnante, locus vllus esse desidiæ possit.

SED inter alia plurima, quæ Musis nostris contigerunt,  
iure meritoque primum hoc putamus, quod illarum cu-  
ram ac tutelam gerit vir natalium et muneris splendore  
minus etiam quam ingenio, probitate, doctrina eximius.  
AUGUSTUS IOANNES DE HAHN, optimo principi a consiliis  
intimis, idemque regiminis ac senatus ecclesiastici  
præses, cuius dignum sempiterna memoria nomen nisi ab  
interitu vindicare olim, in tot tantisque eius de nobis  
meritis, pro virili parte studeamus, ingrati et torpentis  
animi iure summo insimulemur. De me certe illud adfir-  
mo ac publice hoc loco profiteor, me, si quidem natura  
sic tulerit, vt iuuenis grauissimo annis meritisque seni  
superstes sim, nulla iam suspicione adulacionis, tum de-  
num effecturum, vt, quanto viro frui datum nobis fuerit,  
et ipse videar intelligere et futuræ simul ætati, quantum  
infirmitas mea valebit, testatum faciam. Nunc tacita  
potius reverentia, quam laudibus ambiguis virtutes  
eius celebrari conuenit.

NEQUE vero tacere hoc loco fas puto in partem curæ  
vocabatos CAROL. GUILIELM. LUDOV. FRIDERICUM DE  
DRAIS, fereniss. principi a consiliis aulae ac regiminis, ill.  
Gymnasi ephorum, virum eruditionis copia non minus  
quam elegantia ingenii illustrem ac ipsum quoque char-  
rum Musis, et IOANNEM LEONH. WALZ, supremum aulae  
concionatorem, ill. Gymnasi ephorum, de re litteraria  
patria per multorum annorum decursum maximum in

modum meritum, rectoremque Gymnasi, IOAN. CHRIST.  
SACHS, sereniss. principi a consiliis sacris, historiæ patriæ  
notissimum auctorem, qui hoc ipso tempore collati sibi  
ante quinquaginta annos in hoc Gymnasio nostro profiten-  
tendi litteras munieris memoria tanto iustius gaudet, quo  
maiore cum fructu ac laude omnium inter nos versatu-  
sus est.

Hoc fere statu rerum celebrandam Vobis, Ciues! an-  
nunciamus Gymnasi nostri academici sæcularem memo-  
riam, quo officio ut quam religiosissime fungi videamur,  
hac potissimum ratione consequuturos nos putauimus,  
si huius rei id fere tempus eligeremus, quo ante LVIII.  
annos in salutem patriæ ac humani generis decus natus  
est patriæ pater, CAROLUS FRIDERICUS, cuius quidem  
iucundissimi temporis tanto magis nobis facienda est hoc  
loco mentio, quod se præsente id fieri modestissimus  
principum interdixit. Præter nummos, in hanc rem  
proxime excudendos, scribendasque ab iis, qui littera-  
rum studia inter nos profitentur, commentationes, vno  
volumine edendas, die XXI. Nouembris in palatio  
principis solennia erunt sequentia:

I. Concionem habebit IOAN. LEONH. WALZ, quam hym-  
nus Ambrosianus excipiet.

II. De scribenda historia germanica rationibus IPSE, vt  
professor eloquentiæ, verba faciam sermone patro;  
tum Gustavi Adolphi, Suecorum regis, Germaniæ superi-  
ri sæculo liberatoris, memoriam repetet latine IAC.  
FRID. WAGNER, Woessingenis; dein de cultu ac so-  
lertia huius ætatis nostræ oratione germanica com-  
mentabitur IOAN. GEORG. BOECKH, Carlsruhenis.

*III.* Ephori ill. Gymnasi haud ita pridem demandatum  
sibi munus auspicaturus CAR. GUIL. LUDÖV. FRID.  
DE DRAIS iuuentutem studiosam ad rite capessenda lit-  
terarum studia excitabit. CAROLUS HENRICUS WAL-  
THER, *Dürrnenfis*, de voluptate, qua magistri iuuen-  
tutis fruuntur, dicet simulque rectori ill. Gymnasi  
annum Iubilaeum gratulabitur. De animi bonitate  
aget IOAN. FRID. WERNER, *Rußheimenfis*.

CUI instituto nostro vt fauere dignentur principes  
clementissimi, ceterique omnes, qui humaniores Musas  
colunt, quemadmodum quidem exposcit huius diei  
solemnitas, interese frequentes velint, quibus decet  
quemque, formulis rogamus.



20 23598 7 031

BLB Karlsruhe

